



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Commentaria Vetustissima & profundissima Super Canticvm Canticorum Salomonis Qvod Hebraice Dicitvr Sirhasirim**

**Wolbero <de Sancto Pantaleone>**

**Coloniae Agrippinae, 1630**

Versvs III. Duo vbera tua sicut duo hinnuli gemelli capreae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10027**



Per aceruum tritici multitudo fidelium Prælati obedientium exprimitur.

Quid ergo per aceruum tritici, nisi multitudo fidelium Prælati obedientium exprimitur, qui quamuis per infirmitatem carnis & curas rerum sæcularium, circa latam & spatiofam viam aliquantulum deprimantur, tamen per obedientiam & humilitatem, fraternam quoque charitatem fide & spe ad supernæ eriguntur: nam inuicem se complectentes & adiuuantes, atque infirmitates morum & corporum tolerantes, implent illud Apostoli, *alter alicuius oneraportate, & sic adimplebitis legem Christi.*

Gal. 6.

Cur aceruus iste tritici dicatur vallatus lilijs.

Sed iste aceruus tritici, vallatus lilijs dicitur, quia per rectæ fidei odorem & peccatorum confessionem multum proficit ad æternæ vitæ candorem; in lilio enim est & odor, & candor, & medicina: odor enim est in fide & operatione, medicina in peccatorum confessione, candor in vitæ æternæ retributione.

VERSVS III.

*Duo vbera tua sicut duo hinnuli gemelli caprea.*

Per duo vbera duo charitatis præcepta accipiuntur.

PER duo vbera non absurdè accipi possunt duo charitatis præcepta, per quæ anima cuiusque fidelis, per teneritudinem intimi lactis nutritur, & in spiritualis exercitij robur perducitur, ut possit cum Apostolo dicere, *omnia pos-*

*sum in eo qui me confortat: nam fortis Philip. 4. est vt mors dilectio, & à charitate Christi nulla sanctos separat tribulatio. Per Rom. 8. hanc enim eunt de virtute in virtutem: Ps. 83. vnde & recte ipse charitatis præcepta duobus gemellis hinnulis caprea, quæ naturaliter semper alta petit comparantur.*

Sed quare gemellis? nimirum propter ipsius geminæ charitatis, Dei videlicet & proximi concordiam & vnitatem, quia ita insimul in mente sanctorum concipiuntur, & crescunt; vt neutra possit esse prior altera, sed cum diligit Deum, diligit & proximum, & cum diligit proximum, diligit Deum. Vtrumq; enim alterius & probatuum, quia sicut dicit Iohannes, *qui dicit se diligere Deum, & non diligit fratrem suum, mēdax est: atq; ideo ista duo charitatis præcepta quasi duo gemelli sunt caprea, quia & vno geratur loco & tempore, & semper ad altiora quotidiano virtutum proficiunt incremento.*

Charitas duobus gemellis hinnulis caprea quare comparatur.

Ioh. 4.

Siue duo vbera duo sunt testamenta, quibus sancta Ecclesia quotidie ad pietatis enutritur opera: quæ etiã sunt quasi duo hinnuli gemelli caprea, quia ita vnum sunt significans & significatum, vt quamuis non vno fuerint tēpore in exhibitione, vno tamen sint tempore in significatione, & tanta est ipsorum testamentorum maiestas, vt de eis disputantibus, semper maior & altior occurrat subtilitas.

Item duo vbera duo sunt testamenta, & quare duobus hinnulis gemellis caprea illa assimilantur.

VER-